



Heinricus Loritus Glaronæ apud Heluetios
 ex honesta familia natus est anno 1488. Is cum
 prima literarum fundamēta in patria feliciter iecisset,
 sese hinc inde ad uarias academias contulit, &
 omnis generis artibus diligēter incubuit. in primis
 uerò Colonia plurimū profecit, Magistrorū gra-
 dum obtinuit, & in arte Poëtica adeò excelluit, ut
 à Maximiliano Cæsare Poëta Laureatus constitue-
 retur. hac sua eruditione effecit, ut Basileam Anno
 1513 ueniens, Erasmus Roterodamum, Guilhelmū
 Budeum, & Huldricum Zasium sibi reddiderit fa-
 miliarissimos. Postea Lutetiam Parisiorum profe-
 ctus, per triennium ibi permansit, atq; quæ adhuc

deerant, magna diligentia didicit, ita ut doctissimis uiris comparareſ. Accede-
 bat etiam uitæ integritas, & singularis modestia, utpote qui principum aulas
 fastidiret, atq; bonis studijs iuuandis sese prognatū existimaret. Cum hoc mo-
 do liberalibus studijs ingenium excoluisset, in patriā rediit, atq; in Basiliensi
 academia anno 1520 inter artium professores receptus fuit. Ibi in Collegio per
 aliquot annos Oeconomū egit, atq; priuatim & publicè docendo, præsertim
 cum 1525 Decanus artium esset, iuuentutem instituit.